

§. X.

Proporrò requiritur ad actionem invitam per ignorantiam, ut agens hujus ignorantie sibi non sit causa: quod si enim ignorans ignorantie ex qua agit ipse sibi causa sit, actio simpliciter invita dici non potest. Hinc nobilis distinctio apud Philosophum traditur loc. alleg. inter *agere ex ignorantia* seu propter ignorantiam, & *agere ignorantem*. *Ignorans agere* is dicitur, qui ignorat quidem quod agit, ignorantia tamen non est princeps causa actus vitiosi, sed aliud quid, nempe vel *supina oscitantia*, vel *ebrietas*, vel *immoderata ira*, vel *habitus pravus*, quæ ignorantiam illam induxerunt. Sic quando Lothus cum propriis filiabus rem habuisse dicitur, ignorans hoc fecit, non verò ex ignorantia, quia hujus vitiosi actus præcipua causa erat ebrietas, quam spontè contraxerat. *Per ignorantiam autem agere* is dicitur, qui non tantum ignorat quid agat, sed ignorantia etiam est princeps causa, ut id agat. Vid. *Biel. 2. sent. d. 22. q. 2. p. 121*. Quomodo is agit, qui findit ligna & sublatâ securi lædit à tergò stantem, quem tamen ibi adstare nescit; hæc actio potest dici *ex ignorantia* facta, cum ignorantia sit causa læsionis illius à tergò stantis. Jam ad actionem invitam per ignorantiam non sufficit, ut quis solum ignorans agat; sed insuper requiritur, ut actio ex ignorantia tanquam ex præcipuâ causâ proficiscatur. Quæ ignorantia non quidem actionis consecutæ est *causa physica*, quæ influendò produxisse dicitur talem actionem, est tamen *causa in genere morum*, impediendò scilicet cognitionem, quæ si adfuisset, effectus factus non fuisset.

§. XI.

Deniq; requiritur ad actionem invitam per ignorantiam, ut factum comitetur dolor sive pœnitentia. Nam hoc si non fit, & agens subsequenti voluptatis significatione & quâdam quasi rati habitatione illam comprobat, tunc actio non est invita per ignorantiam, neque dicitur spontanea, sed distinctò vocabulò insignita est a Philosopho, ut dicatur *ἐκ ἄγνοιας*, non spontanea. Sicut cum quidam lapide petiturus canem, novercam offendisset, dicit: *ne sic quidem malè*; tunc actio invita per ignorantiam non est, quia subsequente voluptatis significatione & rati ha-

rati ha-